Danskernes Historie Online
Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt vores arbejde – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: https://slaegtsbibliotek.dk
Danske Slægtsforskere: https://slaegt.dk

EXAMINI

IN SCHOLA COLDINGENSI

ANNO MDCCCXXVIII

PUBLICE INSTITUENDO

VERSIBUS CHORIAMBICIS

PROLUDEBAT

P. G. FIBIGER,

RECTOR SCHOLÆ.

ARHUSIÆ,

typis excudebat A. F. ELMQUIST.

— — — υ υ — | — υ υ — υ ⏓
— — — υ υ — | — υ υ — υ ⏓
— — — υ υ — | — υ υ — υ ⏓
— — — υ υ — υ ⏓

Cui Patri Patriæ Cimbria vocibus
lætis jam toties dixit ave pium,
qvem Carum usqve vocant sensibus intimis,
qvotqvot Dania fluctibus

ambit velivolis — Hunc humilis qvoqve
nec dudum, scholâ, tu, concelebrans diem,
suspexisti hilari fronteqve patriâ
limen transgredier tuum.

Mesſorum recinens sic it ab aureis
cultis vox alacris, cum dominus bonus
miti vultu operas intuitus statas
vires omnibus excitat,

ut regem populus diligit optimum,
lustrantem asſidue cuncta, fidelium
qvæ struxit labor, ac luminibus Suos
hortantem placidisſimis.

Oras respice, qvas aura benignior
pomis Hesperidum purpureis tegit;
qvas delere ruit jam furor impius,
circum et tartareis volans

pennis ira, Tagus dum fugientium
portat transtra gemens, tristis Iberus et
regis cum populo, cum solio videt
gentis fervere proelia!

Et natale solum Socratis horridâ
tempestate premit sangvine barbarus
humens; Herculeo qvem, bone Rusſiæ
dux! clavo ferias trucem!

Gaude, Dania! qvam nulla feris qvatit
telis seditio, cui solium manet
firmum magnanimi principis, integrâ
vallatum populi fide!

Gaude qvod Iuvenem, Dania! denuo
dilectum adspicies, regia qvem domus
exspectat Frederici almaqve, patrius
Christianiqve sinus, meris

ictus lætitiis ob sibi redditam
spem certam populi, qvæ venientibus
surget temporibus, ceu jubar eminens,
qvod terras radiis fovet.

Alpes transſiliunt sic juvenes tui,
mater Dania! sic visere gestiunt
qvæ majora creat splendidioraqve
ars, qvæ protulit et potens

naturæ genius: — marmoreo Venus
vultu ridet — at hinc scandit in æthera
rimosum monumentum, oreqve saxeo
narrat mortua secula.

Montes hinc niveis verticibus petunt
cæli arces: vitreos despiciunt lacus
vasti terrigenæ; — fundit ovantium
hinc vindemia carmina.

Sed dulces Codani qvi strepitu puer
somnos carpsit, avens qviqve tui bibit
purum flamen agri; sub viridi domo
silvæ, patria! qvi tuas

persensit veneres, — qvem manet omnium
virtutum decorans sponsa rosarium,
vitæ dulcia sic omnia pollicens
ex Hebes paterâ Suo,

Hunc Hunc nec Tiberis ripa superba, nec
rivus Bandusiæ, aut Parthenopes tenent
blandæ littora cum flammifero accola,
~~moranturve~~ tardabuntve Lemani aqvæ:

dulces Hic oleas læto animo fugit,
fragrantesqve citros: avolat incitus
ad matrem, nitidum qvam triplicem juvat
circumnectere balteum.

Annis mille verens, Dania! florida!
Skjoldungas, animo tu recolis pio
Skjoldungarum atavorum in te animos pios, —
o prolem recolas diu!